



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quae sit futura sententia vltima Christi tenentis iudicium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

velit dare fidem verbis, quòd Christus iterùm venurus sit, attamen signa quæ dixit prædecessura Christus, præbent maximè, vt sicut illa certissima sunt quotidiè, ita erit certus Christi aduentus ad iudiciũ sunt enim hæc signa ex scripturis: primùm, quòd Romanum imperium, quòd in terris summum & vltimum est, desolabitur: & filius desolationis aut perditionis homo peccati antichristus, in templo Dei sedebit 1. Thessal. 2. non adueniet Dominus nisi venerit prius defectio, Hieronymus & Ambrosius de Romano imperio & desolatione illius hinc Apostolum intelligunt, peccatum abundabit, desolatio in templo erit tempore Antichristi: deindè surgent Pseudoprophetae, Matth. 24. falsi doctores sectarum, Apostoli Antichristi. Neque vna erit persona Antichristus, nisi fuerit vltimus falsarius, cæteri sui discipuli. Tertio, erunt signa in sole, Luc. 21. Matth. 24. in terris autem signa erunt, regnum contra regnum, seditiones, fames, pestilentia, & omnia erunt in summo, & abundabit iniquitas. hæc quotidie fieri videmus. Ergò & verissimus erit Christi aduentus. In die autem ipso nouissimo sicut fulgur de cælo repente lucebit super omnia quæ sub cælo sunt, sic erit aduentus filij hominis in illo suo die, Lucæ 17. & Dauid dicit Psalm. 97. Ignis ante ipsum præcedet, deindè signum filij hominis, id est, crux, apparebit in cælo, Matth. 24. postremò, omnes mortui & viuentes simul, boni & mali resurgent, & rapientur in nubibus obuiam Christo in aera, sicut inquit Apostolus 1. ad Thess. 4. & se parabit tunc Christus homines, sicut pastor oves ab hircis, Matt. 25. hæc omnia erunt in die nouissimo.

3. Tertio, Matth. 25. legimus, quòd filius hominis veniet in nubibus cæli cum virtute multa, & omnes sancti Angeli cum eo, tunc sedebit supra sedem gloriae suæ, & mittet angelos suos, cum tubæ voce magna, &

gna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis,
 a summis cœlorum vsque ad terminos eorum, & cõ-
 gregabunt antè eum omnes gentes, & separabit eos
 sicut pastor segregat oues ab hœdis, & statuet oues
 quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. tunc
 dicet sententiam, & his primum qui à dextris sibi e-
 runt, dicet: Venite benedicti patris mei, possidete pa-
 ratum vobis regnum ab exordio mundi: esuriui, & de-
 distis mihi manducare, &c. & his qui à sinistris eius
 erunt, dicet: Discedite à me maledicti in ignem æter-
 num, qui paratus est diabolo & angelis eius: Esuriui,
 & non dedistis mihi māducare, &c. & ibunt hi in sup-
 plicium æternum, & iusti in vitam æternam: hæc e-
 runt verba Christi. Hæc maximum nobis incutere
 debent terrorem, vt à peccatis cessemus: omnes qui-
 dem ore dicimus, credo Christum venturum, & iudi-
 caturum viuos & mortuos: corde autem perpauci
 perpendunt, & credunt iram futuram, cùm illa dies
 vocetur dies iræ, dies magna & amara valdè, &c. tan-
 tus est stupor carnalis securitatis. Igitur admonet
 nos Christus vt vigilemus Lucæ 12. inquit: Nolite ti-
 mere eos qui occidunt corpus &c. timete autem il-
 lum, qui, postquam occiderit, etiam potestatem ha-
 bet conijciendi in gehennam: certè dico vobis, hunc
 timete. Augustinus in Psal. 49. Si credimus iudici-
 um, benè viuamus fratres, tempus nunc misericor-
 diæ est, tunc erit tempus iudicij, & Hieron. inquit:
 Siue comedo siue bibo, semper sonant hæc verba at-
 que tuba archangeli in auribus meis: surgite mor-
 tui, venite ad iudicium. voluit ergo Deus hunc diem
 iudicij esse incertū, vt semper vigilemus, & nos præ-
 paremus ad iudicium Dei extremum: Nam iterum
 venturus est iudicare viuos & mortuos &c.

CREDO IN SPIRITUM
sanctum.

Y S

CA.